

Eucharistiam adsumerent, Syn. Tolet. XVI. an. 693. acriter eos duntaxat reprehendens *Can. VI.* quod non panes mundos, et studio præparatos offerrent, id etiam tantummodo præcipit, quod non aliter panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, et nitidus, qui ex studio fuerit præparatus nihil de fermento, quod panis usitatus confectus profectò esset, decernens, quin et præf. Synod. Penna-fid. *ibid.* constituens, quod Sacerdos massam ex farina triticea tantum, et aqua pura sine (uti legendum putamus) ulla fermenti, vel alterius rei adpositione conficiat, satis indicat aliquod adhuc fermentati usus vestigium eousque remansisse. (*)

(**) XVIII. Indè colligere est quanta cura panis hic ad purissimam hostiam deputandus, conficiendus sit. Ita sanè Syn. laud. Penna-fid. *ibid.* sanxit, ut Sacerdotes per se [si commode possint] vel saltem per alios idoneos Ministros Ecclesie, ipsis tamen præsentibus eum conficiant. In Compil. Jo. Teres Lib. III. Tit. XXIV. laud. cap. 8. decernitur, quod Hostias faciant Sacerdotes, vel per se ipsos, vel per Clericos. Quis nobis daret hanc aspiciere renatam ubique disciplinam? Vinum etiam de vite parandum est, cui adjicienda est aqua, uti sanxit præf. Syn. Tolet. XVI. cit. *Can. VI.* et Cojac. *Cap. III.* et quidem modica ut ad naturam vini trahatur. Id quod eisdem verbis constituit sæpius laud. Syn. Tolet. an. 1323. *Cap. XIV.* In Galliis an. 1188. excitata est controversia, num aqua hæc, Calici infusa priùs in vinum, an in Sanguinem Christi per verba consecrationis convertatur? Delata ad Gaufridum Clarævall, ac dein ad Henricum Card. Alban. non idèd sopita est, sed acriùs recrudit. Innoc. III. *de Celebr. Miss. Cap. 6. §. 1.* eam utraque lance pendentem reliquit, donec adsecuti fuerint Scholastici, eam inter præcipuas disceptandas quæstiones collocare. (*)

ARTICULUS IV.

(**) DE VERBIS CONSECRATIONIS. (*)

(**) XIX. Verba quibus fit panis, et vini conversio in Corpus, et Sanguinem Christi ea ipsa sunt quibus primam Dominus Jesus conversionem egit; Panis nimirum *Hoc est enim Corpus meum:* Calicis verò *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, et æterni testamenti, Mysterium Fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Disputant in utramque partem Theologi, num præcedentia consecrationis Calicis verba omnia sint omnino necessaria, necessitate, ita eam vocant Sacramenti? Nobis tamen ab id genus disceptationibus super sedere satius visum est. Id solum animadvertere lubet, non posse aliam Sacrificii hujus speciem, sine alia consecrari, sed utramque successivè immolendam, ut eruenti Sacrificii commemoratio salvetur. Unde Syn. Tolet. VII. *Can. II.* constituit, ut si Sacerdoti ægritudinis cujuslibet accidat eventus, quo captum nequeat consecrationis expleri ministerium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri consecrationem exsequi officii capti. Non enim aliud ad supplementum sui initiatis ministeriis competit, quam aut incipientis, aut subsequentis completa benedictio Sacerdotis. Idque etiam si Episcopus, vel Presbyter consecrationem perficiens, jejunus non sit. Quod quidem postea Missalis Romani Rubricis adjectum est, *de Defect. in celebr. Miss. §. X. n. 3.* et Synod. Tolet. XI. *Can. XIV.* ut pro casu quo Sacerdos turbatus fuerit, vel ad terram elisus, e tergo semper habeat, qui ejus vicem exsequatur intrepidus. (*)

ARTICULUS V.

(**) DE APTO CONSECRATIONIS LOGO. (*)



(**) XX. Olim licet in criptis, et interdum sub dio Sanctissima Eucharistiæ mysteria celebrarentur, reddita tamen Ecclesiæ pace, non nisi in templis, iisque consecratis peragebantur, ita ut jam tum sola hæc digna habita fuerint loca, Divinæ rei conficiendæ ut ait Syn. Tolet. an. 1582. *Act. III. Decret. XXXIX.* alias *XL.* Privata enim Oratoria sub cujus vocabulo Syn. toties laud. Hispal. *Cap. XVIII.* comprehendisse videtur, Hospitalium, Beatarum, et Monialium templa, licet Ecclesia jamdiu permiserit, ea tamen abolere semper studuit. En *Decret. XL.* alias *XLI.* ejusdem Syn. Tolet. *Quum templa ad Divini Sacrificii usum peculiari ritu consecrata sint, dicente Domino: Non offeras holocaustum tuum in omni loco, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, non concedant Episcopi cuiquam Sacerdoti ad celebrandum in privatis domibus, aut earum Capellis facultatem. Hic enim abusus etiam olim a Laodiceno, et proxime a Sacro Tridentino Concilio est reprehensus.* Oratorii verò privati privilegia, quæ nunc à Romano Pontifice indulgeri solent, ipsaque Oratoria ab Episcopo Diæcesano visitanda sunt. *Trid. Sess. XXII. de observandis &c. [1]*

ARTICULUS VI.

(**) DE REI DIVINÆ CONFICIENDÆ RITU. (*)

(**) XXI. Servator Noster Jesus Christus, qui Verba, quibus Sacrosanctum sui Corporis, et Sanguinis Sacrificium peragendum esset præscripsit, nullas ab Apostolis adjiciendas cæremonias, nullas speciatim precepciones indixisse noscimus; verùm hos Divinæ doctrinæ hæredes, qui nonnulla ab ipsius Christi ore, traditione tantummodo custodienda receperunt, verosimile est, quandam sibi Sacræ habendæ Synaxi methodum, et ad exemplum ipsius præsertim Institutoris proposuisse servandam. Porrò in primis Christianorum antelucanis conventibus credibile est Divino Sacrificio præcessisse obsecrationes illas pro populo, et pro Rege, et gratiarum actiones, quarum memorat Paulus *I. ad Timoth. II. v. 1.* Psalmorum scilicet recitationes, Evangelii lectionem, Dominicam quoque, uti orationum præstantissimam; atque id eo nobis verosimilius adparet, quod nullum invenire sit harum precum initium. Dein hymnos in Dei laudem compositos, recitados esse, auctores sunt ipsi Ethnici Scriptores Plinius in *Epist. ad Trajan.* et Lucianus in *Philopat.* An tunc esset jam orationum, et hymnorum constans præscripta forma, et constitutus Psalmorum numerus, incomperta res est. Hoc unum adserere licet Origenis ævo, vel ipsis fatentibus Magdeburgensibus *Cent. III. Cap. 6.* certam exstitisse Divini peragendi Sacrificii regulam. Cyprianus etiam de *Orat. Domini.* plura nobis usitate suo tempore Lyturgiæ fragmenta producit. (*)

(**) XXII. Ex tunc Episcopi suis unusquisque Ecclesiis Ritus præscribere ceperunt, quod quidem munus secutis temporibus Metropolitanorum proprium factum est: Synod. Gerund. *Can. I.* Unde profuturus Bracarensis acceptam à Vigilio Papa Lyturgiam an. 538. ut refertur in ejus *Epist. Cap. V.* in tota sua Parochia utendam decrevit, ac dein Lucretius in Syn. Bracar. *I. Cap. IV.* alias

(1)  Legg. LX, LXI, LXII, LXIII et LXIV, tit. IV, part. I. 

Can. XXI. Postremo verò in Syn. Nation. Tolet. IV. *Can. II.* sub S. Isidoro Hispalensi sancitum est, ut in omnibus Hispaniarum Ecclesiis unus Lyturgiæ modus custodiretur. Hinc nonnullis persuasum est S. Isidoro demandatam fuisse curam, ut efformatum, vel emendatum à S. Leandro Officium Ecclesiasticum, in ordine redigeret ad commune totius Hispanæ Ecclesiæ usum, eundemque esse, quem Gotthicum hodie, seu Isidorianum vocamus. Ut ut sit, Gotthica hæc precandi methodus diu apud nos obtinuit, ita ut vel ipsis dominantibus Arabibus, Christiani eis permixti uterentur, quocirca dicta est quoque Moz-arabica, donec agente Alexandro II. post plura à Legato Hugone Candido habita Concilia, sub Rege Ranimiro abrogari cœpit an. 1060. in Aragoniæ Regno, quæ quidem nonnisi an. circiter 1074. desiit tandem in illis partibus, ut evincitur ex Epist. Gregorii VII. ad Sanctium. Tum post diuturnas, acresque controversias, ac nullum non movente lapide præf. Gregorio Gotthiciæ Lyturgiæ loco recepta est Romana precandi formula in Castella an. circiter 1080. sub Alphonso VI. uti colligitur ex Ep. ejusd. Pontific. ad ipsum Alphonsum apud Aguirre *Tom. IV. Concilior. Hispan. edit. Rom. pag. 440.* At Gotthica ista Lyturgia in aliquibus Salmanticiæ, et Toleti Ecclesiis retenta est; hodie tamen in una Toletana Capella remanet. (*)

(**) XXIII. Si autem quæras quid in caussa fuerit, quod tot tantisque impediti fuerint Hispani interpellationibus, ut abjecto antiquissimo peculiari Ritu Romanum amplecterentur, duæ potissimum adductæ sunt. 1. Quod oporteret, ut omnes Ecclesiæ in publico precandi modo Romanam imitarentur; verum de disciplina agebatur, non de dogmate. 2. Quod Gotthica Lyturgia pluribus respersa esset erroribus, ut putaverat præf. Gregorius in ead. Epist. ad Alphonsum; sed nos nullum in ea contra Ecclesiæ dogmata interpolatum errorem introspicimus, neque ullum invenit Alexander II. qui Isidorianam Regulam Catholicam esse pronuntiavit, ut refert Auctor *Tract. de Offic. Gotth. apud Aguirre citat. Tom. IV. pag. 426.* Nonnullos fatemur piissimis Gotthorum precibus immixtos fuisse nævos in historia, latinitate; sed Romanum Officium post iteratas correctiones id genus errorum immune non est; poterat etiam Gotthica Lyturgia ab erroribus, quicunque illi fuerint, purgata retineri. (*)

ARTICULUS VII.

(**) DE HONORARIO MISSE. (*)

(**) XXIV. Quum vel ipse Paulus *I. Cor. IX. v. 13.* et laud. Syn. Valent. *Sess. III. Tit. III. cap. 7.* docuerint rationi, et æquitati consentaneum esse, ut qui Ecclesiæ inservit, ab ipsa quoque speret alimoniam percipere, hinc à primis Ecclesiæ sæculis inductum est, ut quotquot ad Sacram Synaxim fideles convenirent, suam Episcopo stipem offerendam deferrent. Id nobis indicat Synod. Illiberit. *Can. XXVIII.* Hæ oblationes etsi in pane, et vino ut plurimum consistere, ut eruditè demonstrat Benedictus XIV. *de Syn. Diœces. Lib. V. Cap. VIII. n. 2.* quarum pars Corporis, et Sanguinis Christi consecrationi, pars Clericorum deputabatur sustentationi; at secutis temporibus alia quæque præter panem, et vinum offerebantur; non enim panis qui facilè exsiccatur, et corrumpitur servari potest, aut semel, aut bis in anno inter Clericos dividendus, sicuti de oblationibus constituit Synod. Bracar. I. *Cap. XXI.* alias *Can. XXXVIII.* Et quidem Syn. Emerit. an. 666. *Can. XIV.* de pecunia, quæ à fidelibus diebus festis præstari solebat, loquitur tanquam de re haud recens invecta. Verum exescente Cleri-

corum numero. sensim eo res deducta est, ut quantum Ecclesiæ offerre consueverant fideles, id ipsum singulis cœperint Sacerdotibus offerre. Hinc ignorantia, et avaritia Clericorum quorundam ansam arripuerunt, ut hunc oblationum usum ad quæstum contorquerent, et Sanctissimum Euchariæ Sacramentum quodammodo venditare viderentur, toties in die Missas ingeminantes, quoties sibi pecunia traderetur. Eos acriter insectati sunt S. Petrus Damiani *Lib. V. Epist. 15.* Alexander II. in Syn. Rom. *Can. LIII. de Consecrat. Dist. 1.* Innocent. III. et Honorius III. *Cap. 3. et 12. de Celebr. Miss.* Inhibitum est plures in die celebrare Missas, præterquam in die Nativitatis Dominicæ; in aliam tamen relapsi sunt cupiditatis abusionem nonnulli, ut nonnisi pacto pretio, et quasi mercede conducti ad Divinam Rem conficiendam accederent. Utramque simul corruptelam extirpare conata est laud. Syn. Tolet. an. 1324. *Cap. VI.* at non defuerunt Sacerdotes, qui aliam implendæ pecuniæ siti viam quæsiere; quasdam supersticiosas inventientes cœremonias, ut elemosynam augerent, id quod vetuit Syn. Valent. *Sess. III. Tit. III. cap. 6.* Destructis tandem his avaritiæ artibus, Episcopi in Synodis Diœces. elemosynam à Sacerdotibus intuitu Missæ percipiendam taxare solent. Videsis hujus *Lib. Tit. XVII. (1)*

ARTICULUS VIII.

(**) DE ABUSIONIBUS, QUÆ IN MISSARUM CELEBRATIONE IMMISERI SOLENT. (*)

(**) XXV. Metropolitanis, quorum erat olim Lyturgias, seu Sacrificio conficiendo regulas uniuscujusque Provinciæ Clericis servandas tradere, uti supra diximus, eas juxta normam ab Apostolis acceptam conscribere curarunt. Syn. Bracar. I. *Cap. III.* alias *Can. XX.* Verum ignorantia, sæcundissima errorum parens, audacia, et novitatis amor plures in Ecclesiam superstitiones induxit, ipsasque cum Divinis Officiis immiscere tentavit. Has à tota prorsus Hispania eliminandas voluit præf. Syn. Bracar. I. non uno in capite, et Tolet. III. *Can. XXIII.* Presbyterorum tamen aliqui suos unusquisque ritus invexerunt. Quidam non vinum, sed pro eo lac in Divinis litabant Sacrificiis, alii pro Christi Sanguine ubas perperam consecratas porrigebant fidelibus, alii sacro pane intincto Dominico Sanguine populum communicabant, alii tandem Dominicam Orationem *Pater noster*, quam in quotidiana Synaxi proferendam constituit præf. Syn. Gerund. *Can. X.* nisi Dominicis diebus non recitabant. Putidissima hæc abusionum monstra debellarunt Syn. Brac. III. *Cap. II.* et Tolet. IV. *Can. II. et X.* At utinam Sacerdotes nostri postquam una universæ Latinæ Ecclesiæ Lyturgia præscripta est, eam penitus addicerent. Officium, et Missam secundum Romanæ Ecclesiæ Ritus celebrare, nobis sanctum est, neque alias invenire cœremonias, aliasve orationes proferre licet, neque inventas amplecti: Trident. *Sess. VII. de Sacram. Can. XIII.* Sed ignorantia, aut audacia minimè cohibitæ sunt. *Exquisitas, ac novas festorum adpellationes contra quam Kalendarii series, et adprobata in Ecclesia consuetudo habeat, supersticiosi homines invenire solent. Quem abusum improbens Syn. Valent. jam sæpius laud. in Sess. IV. Tit. III. cap. 4. alias 5. statuit, ne ejusmodi festa a Capitulis, vel Parochis celebranda admittantur.* Sed inter abu-

(1) Vid. in Trid. Syn. Cap. VII, sess. VII, Cap. IV, sess. XXI, Cap. XIII, sess. XXV. de reform. atque Leg. IX, tit. VIII, lib. I, Rec. ind. de statutis quæ hispanicè dicuntur *arancelos.*

siones præcipua est, quod non fideles ad Sacerdotem oblationes tradituri, sed Sacerdos ad fideles per Ecclesiam discurrens oblationes accepturus accedat. In id veluti superstitiosum, indecorum, et toti retro antiquitati adversum acriter Doctores invehuntur. Et Syn. Hispal. an. 1512. *Cap. XIII.* statuens, *ut in posterum id nullo modo fiat, sed Sacerdos se constituat in loco, quo pervenire valeant illi, qui offerre voluerint, et si fuerit necessarium multiplicentur Sacerdotes ad recipiendas oblationes.* Consonat eadem Synod. Valent. *Sess. III Tit. III. cap. 8.* Quid quod Dominica Oratio quam quotidie legendam decreverunt antiqui Synodorum Patres in solemnioribus Ecclesiae festis mussitetur? Quid quod summissa voce recitetur, ut musicorum schola loco sanctissimæ preceationis theatralibus modulis, theatralibus gesticulationibus, theatralibus compositionibus, theatralibus cantiunculis fidelium mentes depascat? Quid quod citharædorum eadem societas, eisdem citharis, eisdemque modulationibus, quibus vespere aderat in orchestra fideles à Divinorum contemplatione, ad spectaculorum illecebras mane convertat? Dominicam Orationem clara voce canendam in Missis decantatis ipsa ejusdem ritus ratio demonstrat. Missalis Romani Rubricæ §. *XVI. num. 3.* præscribunt, et Synod. Compostel. an. 1565. *Act. II. Decret. 23.* decernit. Id quod intelligas etiam de Symbolo sicuti Miss. Rom. Rubr. *ibid.* monent. Et in Compil. Jo. Teres *Lib. III. Tit. XXIV. cap. 10.* sancitur, ne dum Symbolum in Missa cantatur alternus organi sonitus audiatur. (*)

(**) XXVI. Porro in Ecclesia ideò cantus institutus est, *ut populi intelligentia, quantum fieri possit, erudiri valeat, et religiosa pietatis, ac devotionis moderatione piorum auditorum mentes ad Divinæ Majestatis cultum, et celestia desideria excitari queant.* Hæc Syn. Tolet. an. 1565. *Act. III. Ref. cap. 11.* hodierna tamen modulatio confusa est; neque perennis instrumentorum strepitus quicquam percipere sinit, neque inæqualis prolatio verborum attentioni locum relinquit. Pro coronide Ecclesiasticæ hodiernæ musicæ patronis exhibere lubet ejusd. Syn. Tolet. laud. *Cap. 11. Caveant Episcopi, ne dum in choro musicorum modulos vocum omnis generis discrimine confusos admittunt, psalmorum, et aliorum, quæ cantari solent, verba obscurentur, ac simul strepitu incondito sensus sepe liatur. Sic denique musicam, quæ organica dicitur, retineant, ut eorum, quæ cantantur verba, et intelligi possint, et potius pronuntiatione, quam curiosis modulibus audientium animi divinis laudibus adficiantur. Sed et illud maxime cavendum erit, ne ipsius musicæ sonus, quid theatrale, aut impudicos amorum, bellicorumque clasicos modulos referat in Dei laudibus decantandis.* Et Compil. Jo. Teres *Lib. III. Tit. XXIV. cap. 18.* à Cl. Ant. Augustino constituto decernit, *ut Sybille carmina, et pastorum nugas, aliasque vulgares cantinelas nullo tempore in Ecclesiis cani permittantur.* Tædet hac in re amplius immorari; duo tamen animadvertere placet. 1. Quod Ecclesiastica Officia ab omni superstitionis specie sunt expurganda: Ead. Syn. Compostel. *Act. II. Decret. 13.* Etenim *indecorum est, atque etiam impium uti iis cæremoniis, quas superstitiosus potius cultus, quam vera Religio innoxit:* Ead. Syn. Valent. *Sess. III. Tit. III. cap. 6.* 2. Quod inter Sacerdotes celebrantes nulla unquam difformitas adpareat: Syn. Tolet. *IV. Can. II. Bracar. I. Cap. IV. et V. alias Can. XXI. et XXII.* Tolet. *XI. Can. III.* et præf. Hispal. *Cap. XII. et XXII.* (*)

CAPUT QUINTUM.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

I. *Ordinis* vocabulum apud veteres Ecclesiae Patres haud raro eo sensu accipitur, quo Hierarchiam denotat, sive sacrorum ministrorum dispositionem, et principatum, quo inferiores superiori parent, eidemque subjecti sunt; (***) *Oportuit enim Ecclesiam, quæ Sanguine Christi constructa fuit, pulcherrimo quodam ordine constitutam esse, ut quemadmodum in rebus natura constantibus, ac etiam in celestibus alia aliis sunt superiora, ita in Ecclesia, quæ inter hæc medium statum obtinet, quædam aliis potestate, et dignitate præstarent.* Syn. Valent. an. 1565. *Sess. II. Tit. II. cap. 29.* (*) atque hinc, qui Ecclesiastica pollent auctoritate, in ordine constituti dicuntur. Porro hic strictiori notione sacram denotat Ecclesiae cæremoniæ, qua Episcopi manuum impositione, aliove sensibili signo ad sacra ministeria aliquos deligunt, et initiant.

II. Jam verò ejusmodi sacra cæremonia Sacramenti quoque rationem habet; quo intuitu rectè definitur: *Sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum, quo traditur potestas consecrandi, offerendi, ac ministrandi ejus Corpus, et Sanguinem, peccata remittendi, vel retinendi, necnon Sacerdotio ex officio deserviendi.* Trident. *Sess. XXIII. de Sac. Ordinis cap. 1.* Ejusmodi Sacramentum fuisse à Christo Domino institutum, omnesque veri novæ Legis Sacramenti characteres præseferre late demonstratum habebitis in Tract. Theologico *de Sacramentis in specie.*

III. Non omnibus et singulis æquè superioribus, atque inferioribus ordinibus Sacramenti rationem convenire, sed tantummodo Episcopatu, Presbyteratu, et Diaconatu, qui divinæ sunt institutionis, concursus pæne est Canonistarum sententia. Et sanè, uti *Libro super.* jam satis demonstravimus, Hypodiaconatus, aliique inferiores ordines non nisi Ecclesiasticæ institutioni tribuendi sunt, ac tantummodo eo sensu, quo in Diaconatu tanquam in suo fonte, et origine, unde tanquam surculi emanarunt, quodam sensu institutionis esse divinæ dixeris. Porro hanc quætionem definire noluit Syn. Trid. quum *Sess. XXIII. Can. VI.* definiens, *in Ecclesia Catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris.* dedita opera ab adponenda voce *Diaconis* abstinuerit, ne illorum Theologorum, et Canonistarum sententiam reprobare videretur, qui inferiores ordines à Christo Domino institutos fuisse autumant.

IV. Jam verò in singulis Ordinibus, ac potissimum in superioribus plures gradus distingui possunt; uti in Diaconatu Archidiaconi, Presbyteratu Archipresbyteri, Chorepiscopi, Parochi &c. ac demum, et præcipuè in Episcopatu, scilicet Metropolitanus, Primatus, sive Exarchi, Patriarchæ, et supra reliquos Romani Pontificis, cujus in universa Ecclesia Primatum non humani, at divini juris, non honoris modo, et dignitatis, verum et potestatis, auctoritatisque Libro superiori *Tit. IX.* satis vindicavimus. Plura de Sacra ordinatione eodem superiori Libro dedimus, ac præcipuè *Tit. XXIV.* ubi de moribus, scientia, ætate, aliisque ordinandorum requisitis conditionibus, de interstitiis, de Titulo, ac de proprio ordinationis Episcopo, de Litteris Dimissorialibus, ac tandem de Temporibus ordinationum non pauca disseruimus. Illud igitur hic superest, ut quæ ad Ordinem, prout est Sacramentum, spectant breviter explicantur.

V. Ac primo de materia. Nullus unquam dubitavit, *manuum impositionem*